



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo  
Ecclesiastico**

**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Q. 2. An possit quis sæpius absolvi à reservatis tempore Jubilæi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**

228 P. 3. De Jubilao extraordinario.  
rum, eorum librorum lectio, im-  
pressio, & reverentio, blasphemia  
hæreticalis; si reverà isti casus non  
essent conjuncti cum hæresi formali.  
Ita Sanchez in Decal. l. 2. c. 12. n. 12.  
idem dicens de schismate, de quo  
fuerat locutus num. preced. Henri-  
quez, Suarez, Duardus, & alii com-  
muniùs, quos citant & sequuntur  
Diana p. 1. tr. 5. R. 7. Lugo de Fide disp.  
23. n. 105. Gobat n. 250.

Q. 2. An possit quis sapiens absolvi à re-  
servatis tempore Jubilæi?

R. 1. Qui primâ hebdomadâ lu-  
cratus est Jubilæum, si secundâ in  
aliquem casum reservatum incidat,  
poterit ab illo absolvi, saltem si de-  
nuò repetat opera præscripta. Na-  
varrus de Jubilæo Notab. 23. n. 46. &  
47. Henriquez l. 6. c. 16. n. 3. & l. 7.  
c. 11 n. 1. addens sic esse in praxi,  
posseque absolvi ab hoc casu, &  
reliquis commissis post publicatio-  
nem Jubilæi. Ità cum iisdem Emm.  
Rodriquez summ. p. 1. c. 184. n. 17.

Regi-

Reginaldus l. 8. n. 64 Diana cum aliis multis p. 2. tr. 3. miscell. R. 49. & p. 5 tr. 12. R. 28. Gobat n. 256. & haud dubiè omnes ii, qui tenent Jubilæum posse bis acquiri ab eo qui utrâque septimanâ opera præscripta peragit; de actum est suprâ, sect. 2. q. 7. Ità etiam Castropalao tr. 24. pu. 12. § 3. n. 6. Dicastillo tr. 8. de Pœnit. disp. 11. n. 259. quamvis uterque teneat ut probabiliorem sententiam negantem posse bis obtineri Indulgentiam Jubilæi, hic tr. 9. disp. 2. n. 319. ille loc. cit. n. 4.

R. 2. Imò probabiliter potest absolvi, etiamsi non repetat opera præscripta. Emm. Rodriquez suprâ, nullam faciens mentionem repetendi. Emm. Sà v. Indulgentia n. 11. sic habet: *Toto tempore Jubilæi potest quis absolvi à reservatis, si talis potestas per Jubilæum conceditur.* Ita etiam tenet Diana Resol. illâ 49. Quia, inquit Rodriquez, *cùm iste sit favor, non debet restringi.*

Et istam sententiam, pro quâ et-

K. 7

iam

230 P. 3. De Jubilæo extraordinario.  
iam citant Grassium, probabilem  
censent Bonacina *De Sacram. Diss.* 5.  
q. 7. pu. 5. §. 2. n. 17. Castropalao, &  
Dicastillo *suprà.*

Collige, multò magis posse quem  
sapiùs intra eandem septimanam,  
seu, idem tempus quo præstat opera  
præscripta ad Jubilæi Indulgentiam,  
absolvi à reservatis, in quæ interim  
fortè incidisset. Et ità etiam San-  
chez, nobis contrarius in præceden-  
tibus l. 4. in *Decal. c.* 54. n. 30, tenet  
n. 26. dicens posse toties quoties com-  
mutari vota durante Jubilæo, seu,  
durante tempore quo facit opera  
præscripta. Et hoc etiam tenet Card.  
De Lugo *De Pœnit. disp.* 20. n. 140.

Imò, si quis breviori tempore  
quàm integræ hebdomadæ peragat  
omnia opera, quia videlicet Confes-  
sarius ex justâ causâ commutavit in  
opera uno aut altero die peragenda;  
tenet idem Sanchez n. 28. posse in-  
tra totum tempus illius hebdomadæ  
absolvi à casu reservato, si fortè  
in illum inciderit; affirmans spa-  
tium

tium totius hebdomadæ reputandum esse tempus pro concessione Jubilæi in ordine ad absolutionem à reservatis, & votorum commutationem, tamen breviori tempore obtentum sit.

Et hoc etiam ultimum à fortiori dicit Castropalao *nim. illo 6.* & probabile putat Dicastillo *disp. illâ 11. n. 263.* Et confirmari potest ex eo quod dicit Lugo *de Pœnit. disp. 27. n. 106.* assignari unam hebdomadam singulis ad lucrandum Jubilæum: quod intellige, non de solâ Indulgentiâ lucranda, sed etiam de aliis favoribus.

Q. 3. *Quando nam possit dari absolutio à Casibus reservatis?*

R. 1. Potest dari, antequàm Pœnitens quidquam aliud ex præscriptis faciat; dummodò is habeat verum propositum præscripta perficiendi: alioqui non valet absolutio.

R. 2. Debet fieri intra tempus Jubilæi; sed hoc videtur moraliter intel-